



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De laude sanctorum angelorum in cælo. XXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

2. Cor. 6.

meis, pro omni labore & dolore, requiem & vitam æternam. Quid vis amplius? Prorsus nihil. Tu solus sufficis mihi Deus meus, qui das vitam æternam amatoribus & laudatoribus tuis, pro parvis immensa, pro infimis summa, pro perituris æterna. Da reipsum Deo, & totum quod habes, da ei, quicquid agis, scis, & vales, & eris ditior & charior Deo quàm fuisti. Dic cum sancto Paulo: *Tantumquam nihil habentes pro proprio, & omnia possidentes in Deo.* Quasi viles & pauperes, ac tristes in hoc mundo; sed diuites ac hilares semper in Domino, certi de futuro præmio in cælo.

4. O Domine Deus, salutare vultus mei, & Deus meus; quando lætificabis me in regno tuo, clarissimo vultu tuo? O quando illuminabis omnes tenebras meas splendore lucis æternæ? Quando auferes omnia obstacula mea de medio cordis mei, pax vera, beatitudo summa, & felicitas perfecta? O quando sine omni impedimento contrariorum, sequar te securè & liberè, quocumque ieris Domine? O quando oculis meis clarè te videbo sine speculo, sine ænigmate, sine parabolis, sine figuris, sine quæstionibus, sine dubijs, sine opinionibus, sine interrogationibus à magistris? O quando omnia sciam, quæ credo in Scripturis sanctis, & lego in libris varijs, & audio auribus meis à lectoribus in multis locis de Deo meo, de angelis & omnibus angelorum choris, de gloria & beatitudine cælestis patriæ, de pace & ineffabili gaudio civium supernorum? O quando ibi ero? Quando veniam & apparebo in conspectu tuo, & contemplanor lætam faciem tuam, & gloriam regni tui, cum Cherubim & Seraphim & omnibus sanctis? Sed nondum venit hora illa, clausa est adhuc ante me cæli porta. Ideo gemo corde & ore, quamdiu hîc fuero, donec veniam ad te Deus meus.

CAPVT XXVII.

De laude sanctorum angelorum in cælo.

Psal. 137.

1. **I**n conspectu angelorum psallam tibi. O rex altissime, Deus summe laudabilis, creator omnium rerum, angelorum & hominum; quamdiu morabor in terris, & elongabor à te, & ab omnibus sanctis angelis tuis in cælis? Heu me pauperem & infelicem, quamdiu manducabo cum hominibus panem terrenum, panem laboris & doloris, & priuabor pane angelorum, continente omnis saporis suauitatem?

Sap. 16.

2. O Domine, quando audiam vocem laudis tuæ, ex ore angelorum tuorum in cælo; sicut beatus Ioannes Apostolus relegatus in exilium, audiuit vocem multorum angelorum psallentium in vnum: Sanctus, Sanctus, Sanctus? O vtinam essem vnus cum ipsis,

Apos. 14.

& talem vocem haberem? Quam libenter vellem te laudare cum eis, & super omnia altissima cæli cantica cantare & magnificare nomen sanctum tuum in æternum? O Cherubim & Seraphim, quam dulciter, quam pulchriter, quam feruenter & excellenter cantatis & iubilatis coram Deo sine omni tædio, sine fatigatione, sine cessatione in æterna felicitate.

3. Ideo omnis vox humana est mihi rauca; omnis cantus dissonus; omnis psalmus aridus; omnis musica grauis; omnis cithara, surda; omne organum, mutum; omnis lætitia, grandis tristitia; omnis ludus, vlulatus; omnis cibus & potus, insipidus; omnis caro, fœnum; omne vinum, fel & acetum; omne mel venenum; omne iucundum, asperum; omnis decor, fœtor; omnis ornatus, steruus; omnis honor & gloria, vanitas & famus; omne preciosum & nobile, vile & deformem; immo omnia nulla, comparatione æternæ vitæ, æternæ gloriæ, æternæ lætitiæ, in conspectu Dei & Angelorum; qui altissimè collaudant sanctam & gloriosam Trinitatem, die ac nocte sine fine.

4. Sed quia ad ista sublimia cælorum cantica ascendere nequeo, nec plenè ea comprehendere sufficio; ideo meipsum plango, & valde despicio, & coram Deo & omnibus hominibus flecto genua mea, & humiliter veniam peto. Nam opera mea verè nulla sunt, sine gratia & misericordia tua Domine; quam maximè ostendis super omnem creaturam tuam, sine numero & mensura. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam profunda sunt iudicia tua, & vera à seculo vsque in finem seculorum, super bonos & malos, super gratos & ingratos, super pios & impios; ita vt nemo possit plene inuestigare opera tua, nec debeat iuste conqueri in aliquo facto improviso. Benedictus ergo semper Deus meus.

CAPVT XXVIII.

Oratio deuoti amatoris & laudatoris Dei.

I. *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Psal. 140.*
 Cupio Domine Deus meus cum omnibus sanctis tuis & creaturis, in omni loco & tempore, deuotè te laudare, benedicere & prædicare, & puro corde semper amare, & super omnia opera tua, nomen sanctum tuum magnificare & exaltare in perpetuum: quoniam tu es Deus meus, & ego pauper seruus tuus. Tu lux mea, & spes mea, Deus meus. Tu fortitudo mea, paciëntia mea, laus & gloria mea, Deus meus. Tu sapientia mea, & prudëntia mea, pulchritudo mea, & dulcedo mea, Deus meus. Tu musica mea & cithara, organum meum & tympanum meum, Deus meus. Tu psalmus meus & hymnus meus, cantus meus & iubilus meus, Deus meus.

Deus animæ amantissimi est omnia.

N n 2

Tu